

Quod si quid Manes tristes meditentur acerbi,
In me convertant solum fraudemque resolvant...
Me Stygius linquentem auras iam gurges habebit.—
Tunc manus in caelum sustollitur: inde in hiatum
Vresa, diu minitans restat, distentus ut arcus.
Armis ornatur variis: caput est galeatum,
Squamifer et thorax, fulgescit iaspide ferrum.
Sic totus rutilus, sic totus pulcher in auro,
Apparet maior facie visuque verendus.
Inde et equum, effusis qui stat sublimis habenis,
Bellator, spumatque fremens, phaleris sine, Thracum
Ex oris vectus, bicolor, iam stragula cingit.
Insidet et calcar subdit mox Curtius. Aura
Alipedis fremitu resonat motuque iubarum.
Acer eques, cunctis adstantibus, impulit illum,
Effundens lora, et medium campi rapit. Inde
Praecepis, quo specus exstabat, se immittit in antrum.
Per scopulos deorsum, laterum salebrosaque saxa
Versatur corpus, donec sub gurgite lapsum
Procumbit, tremuere simul fora, vallis et ima...
Ut tremit et tellus, quem magno nubibus imbre
Iam rumpente madet: velluntur saxa, caduntque
Mixta luto et truncis montano culmine, secum
Terrorem et strepitum et duram spargentia mortem...
Fertur, collapso iuvenis mox corpore, lumen
Effulsisse iugis, Capitolia flammiger ales
Triplice per celsas auras scandisse volatu...
Tunc specus extemplo cumulatur, et horridum inane
Aufugit ex oculis divinitus. Obstupet amens
Plebs circum obtutu intento, sibi multa refertque:
Arma equitis, vim, procursum cum funere claro.
Audax namque heros, mortis discrimina spernens,
Ultro se dat morti pro patriis laribus, quos
Forti animo et dextra servavit victor et usque
Dilexit, sua postponens vel commoda. Mira
O patriae pietas, et rerum fertilis auctor
Magnarum! tibi iam victricis fronde revincta
Lauri, Roma suum splendorem et praemia debet!
Non etenim insignis scandisset culmina laudis
Sic rapide, et gentes totas orbis domuisset,
Imperio late extento, nisi mascula proles
Viribus et forti fulciret pectore terram.

(Ad proximum numerum).

MARCUS GALDI.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

Ann. III.

Romae, Idibus Octobribus MCMXVI

Fasc. X.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☰ ☱

AD POPULOS EUROPAEOS

Europa vecors, quo ruis impetu
Abrepta caeco? Quis furor impulit
Exercitus tantos parare,
Atque manus scelerare caede?

Imensus armis campus inhorruit!
Aestuque belli torva suburbia
Flagrant, et ingenti tumultu
Terra sonat, reboantque valles.

Galli, Britanni, Belgica natio,
Germanus et gens Itala dimicant;
Et Norici Thracesque pugnant,
Et Tanaim prope flumen orti.

Liquit colonus rura nitentia,
Dulces parentes, exiguum domum;
Natisque discedens tenellis
Oscula corde dedit micante!

Deliberato Marte viriliter
Longo resistunt ordine milites:
Stragem catervatim dedere
Iam gladii liquidumque plumbum.

Imber coruscans ferreus ingruit:
Nimbis phalanges in furialibus
Stant, dum globos tormenta iactant
Missilibus tonitruque plenos.

Ubique saevit vis fera glandium;
Densantur arvis funera tristia:
Pugnant, et ignotis repente
Mortibus intereunt manipli.

Immane monstrum iam quatit aethera,
Ac findit alis nubila grandibus;
Disseminat mortem per urbes:
Corda procul pavor inde stravit.

Iam currus altos ocior occupat
Hostes volatu; pugna fit aere:
At iam cadunt, ut vulneratae
Praecipitant aquilae ferores.

Tumultuosum transiliunt mare
Ex aere naves; fortiter occupant
Portus, et obsessas in arces
Fulmineos iaculantur ignes.

En mugientes fulminis aemulae
Moles in auras protinus emicant:
Mox hostium fractas carinas
Unda fretis rapit aestuosis.

Fluctu vehuntur foeda cadavera;
Hinc inde fortis exululant viri,
Et Patriae Regique dicunt,
Dum barathro pereant, salutem.

Sic damna, ruptis legibus, inferunt,
Ruuntque cuncti per vetitum nefas:
Sternuntur urbes atque vici,
Rustica tecta domusqnt Regum.

Immane monstrum destruit omnia
Bellum tumescens; nil reliqui facit:
Tentatur heu! letale quidquid
Ars hodierna docet vetusve.

*O vim nefandam! Cernimus efferas
Saevire turmas. Proh dolor! hosticus
Saevit furor matres in ipsas,
Nec senibus puerisque parcit!*

*Mens acris almas per sapientiam
Vires latebris extudit intimis,
Quas promit immanes in usus,
Dum furibunda ruit per arma.*

*Quid longa prosunt agmina curruum
Terras per omnes acta vaporibus?
Quid nunc procul transducta fluctu
Aetherio per inane verba?*

*Quid rem iuvabit tollere publicam,
Cum mox, in orbis perniciem, feri
Exerceamus tot labores,
Et bona cuncta ruamus armis?*

*Nos ira caecos impulit aspero
Fraterna plumbo rumpere pectora:
Foedare suasit caede campos
Finitimos furor ambitusque.*

*Europa, tandem desine pervicax
Iactare cultum; barbaries nova
Invadit almas nationes,
Ac veteres populatur urbes.*

*Quis campus eheu! quod mare iam caret
Cruore nostro? quae vaga flumina?
Tellus perhorrescit sepultra,
Quae iuvenum simul ossa servant!*

*O quanta strages! In vacuo lare
Caesos queruntur tot viduae viros,
Errantque pupilli coacti
Supplice voce stipem rogare.*

*Tot orba natis, incipe lugubres,
Europa, cantus; maestior indue
Vestem nigrantem, perque noctem
Volve memor iuvenum dolores.*

Radicena in Calabris.

*Heu! viperina iam rabie satis
Latum per orbem contulimus manus!
Quid nunc iuvat signare terras
Historiamque notis cruentis?*

*Pacem petamus; nam miserables,
Morti dicati sat sumus in plagis:
Curas in humanos, procellas,
Damna ciet Lilitina tristis.*

*Audite, fratres: Altera paelia
Iam nos manebunt; quin potius mala
Vitae sagaci luctuosae
Nos validi superamus astu?*

*Europa, tandem, si sapis, exue
Mores feroce; verte nefarias
In curva ballistas aratra;
Pande viris simul officinas.*

*Audite, gentes: Patria pristina
Vobis, eois sedibus, affuit:
Patres ad Euphratem stetere;
Omnibus una fuit loquela.*

*Vestrî, benigni, nunc miserescite,
Fratres, amicas stringite dexteræ:
Quicumque primum bella terris
Intulerit, pereat repente.*

*Vexilla tandem candida pandite:
Septem colores ut coëunt simul
Candore lucis, sic volentes
Conveniant bene nationes.*

*At saeva gentes ne furialiter
Ad arma currant, Arbiter omnium
Romanus Antistes superne
Assideat dirimatque lites.*

*Pacem precamur: Candida pandite
Vexilla, gentes, Pacis Imaginem:
Pacem serena fronte cuncti
Compositis veneremur armis.*

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

De sancti Francisci Asisiatis spiritu

Labente saeculo christiano decimo tertio, Ecclesia magnis premebatur angustiis tum ob hostiles exterorum conatus, tum ob ipsos corruptos christianorum mores. Illa enim tempestate, militans Iesu Christi Ecclesia, quae hominibus potest salutem incolumentque praestare, tam graviter exerceri coepit, ut in novas quotidie procellas incurreret, vere comparanda cum illa navicula, quae in mari Genezareth, dum Christum Dominum eiusque discipulos olim veheret, maximis turbinibus ac fluctibus quatiebatur. Et si sermo fuerit de Italia nostra, atque ad illos si respicere velimus, qui eius summa rerum gubernacula obtinerent, omnia prope ad incitas redacta erant, quum ipse Aligherius res nostras vel uno versu graphice depinxit, eam adpellans:

Nave senza nocchiero in gran tempesta.

Re enim vera, qui cum Christiano Nominе haberent inimicitias, iit tunc numero, viribus, consiliorumque audacia praeter modum insolescabant, neque satis habebant doctrinas caelestes palam abdicare, sed summa vi impetuque contendebant, ut Christianorum ipsum caput subverterent, atque Ecclesiae devotos ad ultima quaeque ludibria detruderent. Sed in trepidis afflictisque rei Christianae temporibus, hoc semper laborum ac sollicitudinum perfugium esse consuevit, summis precibus a Deo postulare, ut opitularetur laboranti Ecclesiae sua, atque impertiret depugnandi virtutem, triumphandique potestatem.

Verum, ut olim inter asperam Genezareth tempestatem, una Magistri vox ventorum impetum facilime tutudit

atque compescuit, sic in illis novissimis eisdemque difficillimis temporibus, Deus, qui cuncta mortalia lumine suo regit, fluctibus hominum dominis imperavit, et illico summa pax in terris adparuit.

Cui autem huius tantae rei gloria est gratia referenda? Primum equidem Deo, qui supremo suo consilio orbem universum eo semper dirigit, ut omnia in suam gloriam vertantur atque ad hominum salutem; secundum Sancto Francisco Asisiati, cuius spiritus, ut zephyrus veris praenuntius, flatu tenuissimo vivificat, et tepentibus auris laxant arva sinus; mundum, frigescente caritate, adiuvante Deo, non modo ad novam veritatis lucem perduxit, sed miris et variis rationibus hominum animos ita evolvit, ut ad antiquae sanctitatis morem informaret. Ipsi nefarii homines, probrosis facinoribus infesti in melius protinus conversi, eum solem veritatis adpellitare, atque ad eius nutum uti dociles pueruli, ablegatis saecularibus deliciis, novum vivendi genus viriliter profiteri, atque ad meliorem frugem, vitae eius exemplis adlecti, maximum in modum recipere videbantur.

Et quoniam Christiani nominis irrisores non modo in externis regionibus, sed in ipso veritatis centro sanctitati religionis illudebant, et Pontificis M. dignitatem turpiter laedebant, imo in crebras profligatorum hominum iniurias eadem Pontificeis M. maiestas obiciebatur, sic Franciscus, divino unice fretus consilio, omnibus obstantibus, Romam petere statuit, sperans ita fore, ut tandem aliquando, cunctis impedimentis obtruncatis, libera iterum ac vivificans religio inter homines pulchre refloresceret. Et ut indomitam hominum superbiam frangeret, pedestris se se in Ur-

bem contulit, et qui suus semper mos fuit, rudi sordidoque vestimento induitus. Gens togata Romanorum et rerum olim domina, tanti hominis spectaculo commota, ad austera religionis sanctitatem redire, iterumque Pontificem M. summo honore venerari, eum sibi patronum adpellare patremque colere, atque testari maxime velle, nunquam fore in posterum, ut eorum mentes ab eius voluntate dissentirent, quem Italicae dignitatis et incolumentis adsertorem uno omnes ore profitebantur.

Verum hic sancti Francisci spiritus non modo Romanorum animos alit, rebellesque domat, sed et malignas universae Italiae cervices salubriter frangit atque humi prosternit; atque adeo Franciscus praeclaro caelesti lumine recreatus, quum malorum contagium cerneret per omne Christianae reipublicae corpus serpere, et magis atque magis in dies propagari, eo pro viribus omnino contendere studuit, ut religioni tam acerbe laboranti aliquod remedium aliquando offerret.

Et quoniam acerbissimi fructus iniuritatis illorum temporum ex suo veluti fonte in ignarum popellum redundare consueverunt, ad hunc potissimum miles fortissimus se convertit. Oh! quam vere dixeris: *Lux micat ex oculis, spiratque e pectore flamma!*

Namque quum primum se in publicum protulit Franciscus, homines, cuiusvis essent ordinis, nulla iam inter se prorsus habita personarum ratione, patricius et plebeius, dives et pauper, doctus et indoctus, ad ipsum frequentes ruunt, nec amplius leves aut inutiles, sed firmi, constantes, divina veluti caritate compulsi eum avidissime audiunt, patrem elata voce proclamat, eiusque dociles vestigii insistunt. Et ipse la-

bantes consilio firmat, viresque omnibus adiungit. Eum humani generis optimum delicium salutant, et felicium temporum instauratorem praedicant. Nova omnino vitae ratio inter omnes spirat, quae sanctiores undique mores producit et gignit. Quid plura? Hic eius modo verbis commotus, admirantibus omnibus, male coactas divitias spernit et deserit; ille cum pauperibus quodecumque obtinet, hilari vultu dividit, atque indignabundus omnia aspernatus, ipsam paupertatem, quam antea tristissime oderat, aequo animo hilarique vultu amplexatur atque exercet. Quae hominum turba! Quae maxima diversorum ingeniorum multitudo ad eum accurrit, premit, ac generose exaltat! Et res miranda, omnibusque saeculis in primis magnis laudibus extollenda *solus hic inflexit sensus animumque labantem impulit!*

Quae minorum mansuetudo, quae patricorum generositas! Quae nova omnium virtutum effigies! Nil igitur mirum si ipse Aligherius, tot rerum magnitudine percussus, omnium nostrorum poëtarum magister, dicere haud dubitavit:

O ignota ricchezza, o ben verace!

Et quum inter vivendum hanc paupertatem unice amaret, quum in eo esset ut moreretur, ipsam quoque suis discipulis enixe pluribusque verbis ut sequerentur commendavit atque adprecatus est; et quum iam sidera peteret, in eodem consilio permanens, iis ut maxime diligenter persuasit.

Namque, eo ipso auctore, pauperas humilitatem mentis exercere significat, angustias tolerare et labores, atque omnia hominum probra hilari vultu sustinere animoque patienti, Dei consilio, perfere.

Qui Latinos scriptores nocturna versant manu versantque diurna, illud optimè in mentem revocant quod, nova christiana tempora auspicari visus, ad suos conversus Iuvenalis cecinit:

Vos humiles!... vulgi pars maxima nostri.

Quid enim noverat populus senatusque romanus; quid ipsi orientales principes, nisi commodam in terris sibi vitam comparare atque in deliciis omnibus transigere; uno verbo sumptuose conviviis implere corpora? Franciscus vero, caelesti ausu abreptus, homines iterum ad caelum revocare, atque omnibus rebus suis terrenis posthabitatis, suum proximum diligere, eique opem ferre, in deliciis habuit. Humiles quosque et supplices suis coneredidit, et ipsi, quemadmodum gregarius miles, qui etsi debilis in se, animos exercitus sui persenit, vivendi desiderium recipiunt itemque sui dignitatem resumere videntur.

Illa tempestate, ut primo Christianorum saeculo, pauperes, infelices, mirum in modum gravem illam questionem agitabant, quam *socialem* appellant, novam semper et veterem, quae tamdiu sapientium mentem torquet, nec ipsi resolvere valent. Non equidem Franciscus docet, ut malesuadam famem pauperes tacite patiantur, improbosque labores; nec item divitum impotentiam, ut falso nonnulli passim arbitrantur; sed Dei auctoritate innixus et Christi doctrina, imprimis caritatem illam christianam praedicat, quae quum neminem deprimit, divites simul divinitus monet, ut ubertatem suam cum pauperibus ultra communicent, et pauperes, ut hoc ipso freti consilio munus hoc sibi debitum libenter erogandum esse autument.

Haud sum equidem nescius, hac nostra praesertim aetate, ardelionum quo-

rumdam nationem adesse, quam meliorem itemque sapientiorem doctrinam iactitat malisque hominum mederi presumit, et nullo prorsus labore auream veteranum felicitatem pollicita, multos lenocinio verborum allicit et meliora in dies sperare iubet, discipulosque suos certiores facit haec beatissima tempora, quam cito futura esse, quibus, vel in terris, ut poetae sententiam usurpem:

Aeterna radiant paradisi in luce beati!

Quoniam hoc fortunatissimum saeculum gaudiis omnibus adfluens coronatumque mundanis commodis frustra a falsis huiusmodi repentinis magistris pollicitum nunquam possibile erit, illud vero utique est iterum atque iterum praedicandum atque suadendum quod suis adhuc Franciscus promittere consuevit.

Adveniat regnum Dei hic in terris, altas in pectore hominum radices ponat sapientissimum divinumque effatum; tunc felicitas, quam homines frustra adhuc et cupidissime habere student, amissamque optime sentiunt, cum innumeris beatitudinis muneribus redibit. Utinam operarii universi terrarum orbis, neglectis praesertim quibusdam novissimis festis, sancto Francisco dicatos, qui vulgo Pauperculus Asisias optime appellatur, suorum operum fructus offerant, eique dolorum copiam hilariter tolerantes dedicent; et tunc gravis socialis quaestio haud erit iam in posterum populis timendum periculum; et ipsi pauperes beatiores utique vel in terris erunt. Alma aetas illa nascetur quam poëtae divinitus cecinerunt:

Perpetuumque aevi florem PAUPERES haberent.

De Donizone Mathildis Canusientis historico. (1)

Haud saepe admiratio rerum gestarum dominae suea Donizonem exaltat eique figuram et motus suggerit, quibus carmen soleme non deditur. In libri II capite XIX ostensurus quos timores ad fidelitatem Mathildis Mantuanos revocarent, timores exorationis forma hoc modo profert:

*Disiice, Christe, vias, tales abrade ruinas,
Exaudi miseros. Deus, audi noster egenos,
Atque ducatrici vitam concede Mathildi.
Quum morientur enim denudabuntur egeni,
Ecclesiae sane fient graviter spoliatae:
Latro latroni dabit auxilium quasi proli:
Praedo praedonem leo rodet ut ore leonem.
Visi nunc flores; quid agent quandoque latrones?
Hactenus en vivit prudens comitissa Mathildis,
Sed nimis infirmam Baruncio mons tenet ipsam.
Pullulat hinc lolium, segetem suffocat iniquum.
Undique funesti concurrunt atque protervi,
Defunctam dictam supra referunt comitissam.*

In capite II libri II, naturali hyperbole hominis omnimode protagonisten laudantis, solam domum Mathildis mundam lepra rebellionis invenire vult, et quamdam eius effigiem, haud quavis evidenter carentem, fingit:

*Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adversus binos Domini crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, instigat, proelia gessit.
Singula si fingam, quae fecit nobilis ista,
Carmina sic crescent, ut sunt numero sine stellae.
Plura sed omittam, de paucis discite mira.
Ex hac parte freti, per climata quattuor aevi
Lepra guibertina succreverat horrida: nigra
Hac lepra mundus forte non locus extitit ullus,
Munda domus sola Mathildis erat speciosa.
Catholicis prorsus fuit haec tutus quasi portus.
Nam quos damnabat rex, pellebat, spoliabat,
Pontifices, monachos, clericos, italos quoque Gallos
Ad vivum fontem currabant funditus omnes;
Scilicet ad dictam dominam iam mente benignam,
Quaque requirebant apud ipsam repperiebant
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis.*

(1) Cfr. num. sup.

Quis fuerit antipapa Guibertus, eiusque personae notae, verbis quamvis infelioribus, his paucis videndus est:

*Maior erat cunctis Guibertus episcopus urbis
Ravennae, doctus, sapiens et nobilis ortus
Extiterat Parmae civis, seu clericus ante.
Dum fuit electus Gregorius, iste Guibertus
Ipsi iuravit, contra quem nunc male sancit.*

*Lubricus et mendax erat iste Guibertus aberrans,
Conscius et concors homicidarum quoque fautor:
Pompam mundanam plus illo nullus amabat,
Relligione caret, sic quod nec eam scit amare.*

Libeat autem percipere quomodo rem Donizo conficiat narranda Henrici poenitentiae, quam omnes norunt, extra fines canusinas, veniamque quam illi Pontifex concessit. Poëta brevi utitur sermone, inducens quoque regem precantem de Mathildis intercessione.

*Popolibus flexis dixit rex atque Mathildi:
Tu nisi me multum iuveris modo, non ego scutum
Ulterius frangam....*

(quid sibi vult haec loquutio? !)

*multavit me quia Papa.
Consobrina valens, fac me benedicere, vade.
Ipsaque surrexit regique spopondit et exit.
Ascendit sursum, stetit ac rex ipse deorsum.
Alloquitur Papam de regis fine reclamans.
Sinceris dictis Dominae venerabilis istis
Credidit antistes, ut iuret sic tamen ipse
Rex illi sedi romanae sitque fidelis.
Solitoque munere mage frigus
Pernimum magno Ianus dabat hoc in anno:
Ante dies septem quam fines Ianus haberet,
Ante suam faciem concessit Papa venire
Regem, cum plantis nudis a frigore captis,
In cruce...*

(Fortasse Donizo hoc verbo, ad innundam poenitentiam utitur).

*se iactans Papae saepissime clamans:
Parce, beate pater, pie parce mihi, peto plane!
Papa videns flentem miseratus ei satis est, est*

(Verbum « est » nescio qua subtili artis ratione hic poëta geminet).

Nam benedixit eum, pacem tribuit sibi...

(Coactio dactylica praeposteri pedis in hexametro, pronomen *sibi* pro *illi* in calamus Donizonis effudit).

*demum
Missam cantavit, corpus dedit et deitatis.*

(Animadvertisse hanc novam abstractiōnem deitatis, ad quam necessitate conferendi ultimam vocem hexametri cum verbo cantavit Donizo cogitur).

Quadam autem sinceritate non sine affectus vi, versus gaudent capit, quod Donizo duobus libellis adiungit, quum nuncius de mortua comitissa ad eius aures pervenit.

Tunc ait:

*Cogitat et tractat vir, sed Deus ordinat apta.
Dictavi binos nuper cum carmine libros
Quos ego Mathildi comitissae mittere dixi,
Patres illius codex loquitur quia primus,
Ad laudem cuius manet editus atque secundus
Frivola vitavi, quae scripsi vera probavi.
Laetitia mentis libros dum necto tabellis,
Nuncius advenit qui me nimis obstupefecit,
Dicens extinctam praetaxatam comitissam.
Vires disruptae mihi sunt, subitoque medullae,
Palpebris dulcis somni dormitio fugit,
Viscera frigescunt, simul ossa caroque liquescunt,
Quaeque laborabam sunt e manibus vacuata.
Haud nocet illius mihi mors, tantummodo scitur,
Officit omnino recte viventibus immo.
Sunt ubicumque boni fuerant sibi maxime noti.*

Forsitan his versibus postremis quibus Donizo Mathildem opus suum non legisse et id sibi non nocuisse docet, ad alia credenda inducimur; nam hanc confessionem nemo eum poposcerat. Sed quis eum incuset?

Quod si natus ultimus animadvertisse sit, ad quem Donizo artem suam flexit, quos versus ad Canusiam dedicavit legamus, quum anno MCXVI Henricus V in Italiam descendit et totam sibi haereditatem Mathildis attribuit; inter cetera et ipsam Canossam, quae nomen ex silice albicante duxit, in quo fundata est. Hos versus, qui duo verba cuiusvis medii hexametri similiter habent so-

nantia et verba eiusdem furfuris binos claudunt, in fine carminis adiecit:

*Pelle timores non et honores, candida petra:
Tempora dudum prospera multum laeta ferebas.
Magna Mathildis, quod tibi fixit tempore multo,
Et genitore nobiliore ipsius ultra,
Te peramarunt et fabricarunt denique celse.
Progenies, quae iam requiescens desinit esse,
Plangere cessat: gaudia spectas: stabis honesta.
Caesar decorat, teque honorat: sis sua semper.
Plangere noli: culmen honoris tu retinebis.
Alta Mathildis mortua vivit splendida felix,
Quae nova mater regna beata teque beabit,
Est super illam commemoratam nomine tali.
Caesaris hostes sint procul omnes: ipse beetur
Et sua coniux fulgida prorsus vivet in aevum.*

Alium Maecenatem, ne maligni simus, his versibus adiectis, ut a bono cliente fit Donizone sibi parandum censuerat? Certum quidem est, in carmine heroico Donizonis omnia praeter formam heroicam reperi. Versus omnes, quibus nimis patienter incubui, ne partem quidem rerum, quae in intentione erant scriptoris, referunt. At res ipsae, sua intrinseca virtute tales sunt, ut nequeant nos celare, quae praeter scriptoris intentiōnem exsurgunt. Quae Mathildes fuerit, in unico versu, qui, Donizone forte inscio, gremium effudit velut flos in medio deserto, videmus. Is scripsit

Sola resistit eis Mathildis filia Petri.

Sex autem his verbis, quibus mulier superbius stans ostenditur, quo magis hostes augebantur, cognoscimus mirabile spectaculum Horatii cānentis:

Iustum et tenacem propositi virum

*Si fractus illabatur orbis
Impavidum ferient ruinae.*

Et pontifex Gregorius non ex Donizone carmine, sed ex rebus gestis, quas ipse difficulter ostendit, apparet, quem colimus in lectione verborum a Gregorio conscriptae epistulae VI libri I: « Magis enim — ait — pro vestra salute desidero mortem subire, quam to-

tius mundi gloriam ad vestrum interi-
tum arripere. Deinde enim timemus, et
ideo superbiam et oblectamenta saeculi
parvi pendimus ». Apparet quem adm-
iremur, quum recordamur laudem ma-
gnam Napoleonis dicentis: « Nisi qui sum
essem, vellem Gregorius VII esse ». Ap-
paret quem commendamus, prae oculis
habentes ipsum, ut Romanum decet
Pontificem, in muniberibus exequendis,
laicam potestatem omnino despexisse.
Eum dolentem videmus; sed usque
animo invictum compatimur extrema
proferentem in urbe salernitana: « Di-
lexi iustitiam et odivi iniquitatem, prop-
terea in exilio morior ». Quibus victum
et confactum cogitandum non licet.
Nam historia docemur, auctore Grego-
rio, Ecclesiam consequutam esse liber-
tatem Pontificis eligendi, et *investitu-
rae* remotionem. Imperator autem, quem
ipsa historia prohibet quominus exsur-
gat, usque poplitibus flexis ante Pon-
tificis maiestatem editur.

Quod monumentum in Sancti Petri
Berninius ad Mathildis somnum tegen-
dum exegit, visurus magna cum venera-
tione ego movi, et opera et signum affabre
sculpta iterum iterumque sum admiratus.
Neu pigeat iuvenes illuc peregrinari
lecturos inscriptionis verba, quae
carmen Donizonis nobilius perstringunt:

« Urbanus VIII Pontifex Maximus — Comitissae Mathildi — virilis animae
foeminae — sedis apostolicae propugnatri-
ci — pietate insigni liberalitate cele-
berrimae — luc ex mantuano Sancti
Benedicti coenobio — translatis ossibus
— gratus aeternae laudis promeritum —
monumentum posuit — anno MDXXXV ».

Utinam quisque nostrum, post vitam
apud Ecclesiam datis operibus meritam,
aliquid huius laudationis sit sibi con-
sequiturus!

JOSEPH SOLLINI.

IOANNES BAPTISTA LEMOYNE

Die decima quarta mensis Septem-
bris sub vesperum Augustae Taurino-
rum in Salesianorum aedibus, inter suo-
rum complexus et preces, diem obiit
supremum hic sacerdos antiquae pieta-
tis exemplar, atque egregiae virtutis.

Domo Ianua, piis honestisque paren-
tibus ortus anno saeculi elapsi trige-
simo nono, sanctissima matris disciplina
excultus est, et, acerrimo ingenio pre-
ditus, litteras latinas mirum in modum
arripuit. Quum ingenium altioribus di-
sciplinis excoletet, et singulari religionis
studio in exemplum enitesceret, et ob
sanctissimos mores ad altiora semper
vocari videretur, sacrae militiae nomen
dedit.

Patrium Seminarium ingressus, sa-
eras disciplinas sic arripuit, ut vix dum
annos natus viginti tres, omnibus suffragiis
sacerdotio initiaretur. Ioannem
Bosco sacerdotem magistrum sibi mi-
rifice adlectum, quemque divinitus pro-
peodium noverat, per quinquaginta et
amplius annos docili mente atque amore
est prosecutus.

Huic et illa fortuita aderant omnia,
gratus vultus, vocis iucunditas morum-
que suavitas, memoria rerum et verbo-
rum plene singularis.

Vigesimum sextum annum vix egres-
sus, iuvenes ad pietatem excoluit in col-
legio Lancei apud Augustam Taurino-
rum. Quod munus caste, integre, naviter
sic obivit, ut omnium iuvenum mentes
quo vellet deducere posset. Sui securus,
posthabita etiam valetudine, ab officii re-
ligione nunquam declinavit. Hoc tempore
labente, complura identidem scripsit,
quae tum ad corrigendos mores specta-

rent, tum ad iuventutem religiose in-
formandam. Mirum in modum eius nar-
rationes oculis lectorum persolvebantur.
Eorum enim ingenio sapientissime in-
serviebat. Suavis etiam ei dicendi ratio,
miris audacibusque imaginibus conferta,
maxime placebat, qua suos ad litteras
atque ad pietatem sollerter excolebat.

Ad comoedias conscribendas animum
quoque appulit. Festivissimi ingenii vir
erat, et, mea quidem sententia, labentibus
annis, comoediarum in iuventutis commo-
dum conscriptarum parens iure erit ha-
bendus. Harum argumenta historico-fon-
te potissimum derivavit, praeter illas,
quaes personarum ingenia describerent, et
secus semper ad finem usque sanctissima.
In describendis hominum studiis, sin-
gulari excogitandi vi atque acumine
adparet. Spectatores dialogi lepore et
subitariis quibusdam casibus afficit, quos
nondum conjectura prospexerint.

Ioannem Bosco patrem doctrina, pietate,
consilio aemulatus, nativo animi can-
dore ac pari eloquentia suis eum mirifice
tradere studuit. Hoc ei munus praeci-
puum ab ipso patre antea commissum
omnium suffragio optime persolvit. Vir
sollers, industrius maximique consilii
strenue hanc operam navavit. Quam
uberrimum rerum notitiarumque flu-
men! Quam suavis eademque iucunda
scribendi copia! At prae ceteris quam
veram effigiem sanctissimi patris nobis
reliquit, singularem diligentiam et mo-
derationem professus. Lenitatis, doctri-
nae, laboris laude clarissimus, quum
laetus invictoque animo ac vegeta mente
ad ultimam senectutem pervenisset,
morbo correptus, placidissime decessit.

Acceptus omnibus occidisti, amice
suavissime, idemque optime sodalis; e
supernis sedibus nos identidem respice,
qui in contemplatione virtutum tuarum

securi conquiescentes, Te inter beatos
caelestes revisuros esse confidimus.

Vale, anima dulcissima atque candidis-
sima, in pace.

I. B. F.

De epistulis apud veteres

Qui in singulis nostris amplis civi-
tibus ad epistularum diribitorum se
confert, procul dubio magnam homi-
num asseclarumque multitudinem ad-
mirabitur, ad civium commoditatem adhi-
bitam. Nos enim qui toti sumus in lit-
teris dandis atque accipiendo, et diem
illum quo nullas ab amiculis litteras
acepimus, nigro esse dicimus lapillo
signandum, et rerum novitate commo-
disque abrepti, superbe nos admodum
praedicamus, quod tot felicissimis inge-
niorum inventis fruamur, haud facile
credimus longe aliam fuisse consuetu-
dinem apud veteres. Nos enim in pri-
mis considerare debemus quanta illis
esset rerum communicandarum difficul-
tas, quam exiguis viarum numerus
atque imperfectus. Tunc quisque in re-
bus suis intentus, procul admodum a
ceteris negotiis, in vico suo, vel post
immensas fortunae vicissitudines, ad
suos regressus apud parentes mori
optabat.

Et quid est dicendum de commer-
ciis exercendis? Et qua potissimum ra-
tione homines mutuam rerum commu-
tationem agebant? Verbis modo an
quoque scriptis? Omnia tunc praesentia
fiebant et reciproca negotiatorum fi-
ducia. Iuvat tamen pro omnium curio-
sitate, nonnulla dicere de primo ac rudi
epistularum genere. Epistulae enim, quae
a remota antiquitate ad nos pervene-

runt, rarae admodum sunt, ac simplicitatem quoque primorum populorum praebent. Et ipsi principes in suis epistulis rudiores omnino videntur atque agrestes, ut tempore nostro vel ancilla vel agricola scribere consueverunt.

Nos autem, quum primum celebres illas Ciceronis litteras ad Tulliolam suam legeremus, quae incipiunt: *Si vales bene est, ego quidem valeo*, subridentes admirabamur, quod nobis hoc tam simplex scribendi genus ad exemplum proponeretur. Haec enim morum simplicitas et quasi inopia dicendi, quae nobis minime placet, aliena omnino est a verbosa nostra consuetudine ac sermonis exundantia.

At veteres, ipsa foliorum penuria, in quibus mos erat ut scriberent, prohibebantur, quominus frequentiores longioresque epistulas darent. Namque primo epistula in lateribus scribebantur, uti memoriae proditum est ex monumentis, quae nuper in bominum eruditorum admirationem eruerunt sapientiores antiquitatis viri, post longos labores, apud flumina ubi olim Ninive fuit, et Babylonie.

Dolendum sane quod prima epistula, quae, ut perhibent, verbis scripta est, et in volumine, narret de Pausania, qui hostibus patriam traditurus, Persarum regi mittebatur. Thucydides sic horrendum hoc facinus descripsit: «Pausanias, dux Sparta, quos Byzantii ceperat, postquam propinquos tuos cognovit, tibi muneri misit, seque tecum affinitate coniungi cupit: quare, si tibi videntur, des ei filiam tuam nuptum. Id si feceris, et Spartam et ceteram Graeciam sub tuam potestatem, te adiuvante, te redacturum pollicetur. His de rebus, si quid geri volueris, certum hominem

ad eum mittens face, cum quo colloquatur ». Rex tot hominum salute tam sibi necessariorum magno opere gavisus, confestim cum epistula Artabaxum ad Pausaniam mittit... quo facto domum revocatus, accusatus capitis absolvitur, multatur tamen pecunia.

Quum ad Cyzicum infeliciter pugnatum est, ita Hippocrates supremus dux rapide scripsit: « Fortuna nobis iniqua fuit: Mindarus obtruncatus est: milites inedia deficiunt: quod sit nobis agendum, nescimus ».

Longe alia fuit epistula Niciae, postquam infauste pugnasset! Hac enim aetate, qua, imperante Pericle, litterae Athenis ad perfectionem pervenerant, quum quis ad populum omnium exquisitissimo ingenio praeditum causam ageret, vel per epistolam, dignitatem quamdam sermonis ac magnificentiam pro se ferre debebat; mos erat ut primum nomen scriptoris poneretur et postea eius cui mitteretur. Sic quoque apud Latinos Cicero semper in epistulis suis exordiebatur: «Cicero Attico suo salutem».

Populus romanus quum viribus corporis omnino emineret, in una valetudine magnitudinem suam ponere consuevit, omniaque ad reipublicae salutem bona referre, atque hoc modo virtute omnes terrarum gentes sibi subegit, *pacatumque regit patriis virtutibus orbem!* Propterea sic semper in litteris scribendis exordium sumit: « Si vales, bene est; ego quidem valeo ».

Amico valetudinem auspiciatus incipit, eique valetudinem ominatus, finem imponit. Graeci vero quum leves sint, vaniloqui, alacres ac quemdam puleritudinis sensum in omnibus collant atque sequantur, litteras suas incipiunt hilaritatem gaudiumque adnun-

tiantes (χαῖρε). Nos vero recentiores, innumerabili prorsus rerum multitudine abrepti, varie quoque epistulas scribimus, proposito nobis egregio illo exemplo, quod Hannibal Carus prae ceteris in litteris dedit ad necessarios descriptis. Hoc vero egregium in litteris scribendis exemplum minime cognoverunt Romani. Unum tamen, honoris causa, excipiendum esse putaverim, Paulum scilicet apostolum, qui sententias suas divinas sapientiamque divinitus acceptam, maximo ore locutus, praeclarum epistularum exemplum Romanis adhuc inconnitum mirum in modum reliquit.

* * *

Sed quaenam erat epistularum figura exterior? Litterae omnium antiquissimae, uti paullo antea monebam, in lateribus describebantur, quae quisque re- ferre voluissebat, dum molles adhuc facilius atque indelebilis verba servarent.

Mox apud Graecos idemque Romanos epistula in duabus tabulis subtilibus atque ex altera parte obligatis scribebantur et interius paululum excavatis ac cera conspersis, in qua stylo ferreo facile quaeque vellent exarari poterant. Hae tabulae serica vitta simul claudebantur ac proprio annulo signabantur. Hic titulus inscribebatur ac pumice linebatur.

Hi autem codices, labentibus annis,
exarari in libro seu in pellicula ar-
boris, ad conserendum aptius compa-
rata ab hominibus per longum tempus
usurpantur. Quum maior in dies neces-
sitas urgeret et brevis esset rerum com-
municatio, Imperatores in primis passim
hoc modo voluntatem suam subditis
manifestare consueverunt.

Hi vero libri, etiamsi breves, augentur, et Plautus narrat: «Dum scribo

explevi totas ceras quatuor »! et Iuve-
nalis paulo post:

*Nonne libet medio ceras implere capaces
Quadrivio?*

Sed hac labente aetate epistulae in pa-
pyris scribuntur, redactaeque in volu-
men, sigillo firmantur.

Ob immensam viarum illo tempore difficultatem, raro homines aliis scribabant, epistulasque vel per servos mittebant vel per certos homines. Unus Cicero singulis prope diebus per servos ad Atticum suum, quo nemo carior fuit aut familiarior, litteras mittere consuevit, quarum sexdecim sunt volumina, ab consulatu eius usque ad extremum vitae tempus. Has qui legat non multum desiderabit historiam contextam eorum temporum. Sic enim, — ait Cornelius Nepos, — omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus rei publicae perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat, et facile existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem.

Augustus, qui solus orbem moribus ingenioque ornavit, in maioribus militum stationibus, ut essent in privatum commodum, veloces quosdam cursores poni iussit, ad iter paratos, qui per ordinem rapidissime epistulas transmitterent. Quo facto, mutuum negotiorum commercium cum Roma, regina gentium, aptius fiebat atque accuratius. Imperator ita, non modo per litteras certior de rebus fiebat, sed verbis a cursoribus diligentius de visu edocebat.

(Ad proximum numerum

SENIOR.



..... *Plurima sunt, quae*
Non audent homines pertusa dicere lana.

JOURNAL OF THE AMERICAN
PHOTOGRAPHIC SOCIETY

COMMUNIA VITAE

De vitis origine et vinorum generibus.

Sonant laetiores canticis vineae,
Et audis fistulas, avenas rusticas,
Multarum gentium voces ovantium...
Adest nam tempus vindemiae dulciter,
Favens agricolis, et unde commodum
Suis marsupiis gratum et delicium.
Manant amoeni quot liquoris rivuli,
Tuis e vineis, ferax Italia!
Quot opes adsunt circum! Quam multiplices
Uvae species, albae, nigrae, variae,
Visu pulcherrimae, suaves et gutturi.
Tuum, Roma, castris quae coronant caput,
Qui laudem dignam dixerim pro meritis?

Fuit sed auctor quis racemi providi?
Cum res feruntur dulces apud veteres,
Mens nostra rectius, remotis aliis,
Apud tunc Graecos volitat potissimum.
Hi quidquid tangunt reddunt aurum lepidum,
Obryzum, conditum divino eloquio,
Et ipsi narrant Moyses quod divinitus
Scriptitavit simplex, natura comite...
At varia pictum mira pulchritudine,
Placet res ipsa, dulcescit lectoribus.

Noë quid? Fecit quod Dionysius pater;
Solent ut Graeci, praecinente ingenio.
Enim Moyses narrat verbis paucissimis,
Noë quid invexit sua ignominia;
Quid ipse fecit, toleravit ebrius,
Pater quid filio est imprecatus furens...
Facinus quod simplex mire quam convertitur?
Iuvat Edyllium sed omne ponere.

Adest Lyceurgi domitor et Rubri maris,
Tectam virenti cuspide. Thyro gerens.
Iovis hic filius, lapsus sideribus,
Pererrat Graeciam, Naxum desiderans,
Amat relictis Bacchus quam caelestibus,
Suisque spoliis honestat maxime.
Fessus viarum, positus sub arbore,
Solum suppositum contemplatur lumine,
Cunctis divitiis telluris consitum,
Quae circumpositis invidiae gentibus.

Omnia dum Numen admiratur tacitus,
Patremque laudat tantis quod muneribus
Dederit terris Graeciae prae ceteris,
Observat fruticem secus pedes tenuem,
Virentem foliis, visu pulcherrimam,
Novoque fructus germinantem proxime.
Quod cerno, — dicit, — germen novissimum?
Meae cur dulci regioni denegem

Hanc plantam tantae divitem fiduciae?
Sic ipsa cives recreabit fructibus,
Me proclamabit auctorem commode,
Meumque Templum decorabit foliis...

Sic fatus, fruticem decerpit molliter,
Suis miratus manibus fert protinus.
Sol autem fulgidus tellurem radiis
Exsiccat circa. Fervet nam canicula...
Torrens est terra. Pertimescit merito
Suum ne pereat germen itinere.
Os obvium forte cum vidisset avis,
In ipsum posuit radices alacer,
Suumque carpsit denuo laetus iter.

Dei sed in manu racemus creverat,
In imum mire avis super est gressus os.
Deus quid egisset ne crescat nimius?
Leonis os casu potius seu divinitus,
Viam secus, vidit eminus Dionysus.
In ipsum collocat cum studio Deus
Avis quod os primum sumserat antea.
Racemus denuo crevit praeter ordinem,
Leonis ipsum os superavit integre.
Miratus Bacchus conquisivit cupidus
Modo quo totum contineret aptius.
Id crescit mire praeter confidentiam.

Belle asini videt tunc os percommudum,
Erat quod obvium turgens et plurimum.
Ossa utriusque caelestis huic inserit,
Suamque plantam sic tueri cogitat.
Solent ovantes principes ut ingredi
Quas liberarunt civitates gladiis,
It laetus, proximas volvens victorias.
Sic unus onustus opimis spoliis,
Ad Naxum tandem pervenit insulam,
Ferens fortunam, ferens infortunium.

Novum vix sareculum coepit virescere,
Racemis, pampinis, abundanter fuit
Monstrum mirabile incolis et advenis.
Ut autem fructus in immensum protulit,
Et uva rubra purpurea simillima
In vinum profluvit compressa dulciter,
Os unumquodque virtutem suam tenet.
Avis sicut canit, passim sic ebrius,
Quidem nec gratus auribus dormientium,
Suis per noctem replet omne canticis.
At est valentior, membris nervosior,
Et omnes acerius molestat improbus,
Currit gravatus petulans oneribus,
Divos in certamen et ipsos advocat.
Leonem dicit se se, submittit ceteros,
Et orbem viribus, virtute provocat.
Domi cuncta miscet, perturbat, commovet...
Quid non mortales cogit ebrietas?

Aselli demum mores sumens putidos,
Est cunctis turpium magister horridus.
Ardet insanus, psallat et inconditus,
Foedus effutit, probrosus et indecens,
Nil servans decoris, nil pudicitiae.
Quam tristis aedibus res est ebrietas!

Malis tot attamen perpensis gravibus,
Amatur vitis et colitur quam maxime.
In Italies quantum, et ubique gentium!
Est enim vitis utilis mortalibus,
Et causa cunctis populis abundantiae.
In nobis crescit et praesertim germinat,
Mirum in modum, varium, novum multiplicat.
Adest Neapolis cum *Christi lacryma*,
Ferax *Marsala*, quae volitat per populos.
Clarum fert *Chianti* spumans Florentia,
Mordax et asperum, salebrosum saepius,
Solent ut esse Florentini ingenio...
Etiamque Veneti vina millia ferunt.

In agro Astensi est Canelliorum parvula
Tellus suisque vinis celeberrima.
Spumans prae ceteris laudatur optime
Quod est De-Huss terque quaterque diceret. (1)
Adest immensa vinorum collectio!
En nigrum, dicunt quod *Barbera* sapidi,
En et *Brachetum*, *Grignolinum* funditur,
Album, spumans blandum risumque provocans.
Hoc omnes praedicant, hoc princeps autumant,
Volunt hoc omnes, condunt in cellariis,
Gustandum rare et intimis amiculis.

Hac nostra aetate praesertim pererebuit,
Quod ipsum vertitur parvo artificio
In vinum notum Campaniae gallicae.
Hoc primus decorat mensis regalibus
Suis Humbertus ut cultores adiuvet.

(1) Ioannes De-Huss, domo germanus, mi-
rum in modum Italianum peragrans vitis altri-
cem, exquisitissimum vinum sibi comparare
studebat. Hoc nomine, servum quemdam praem-
ittere conueverat, qui optimum quodque
obiter degustaret, dominumque suum lapillo
albo moneret, ubi potissimum bonum invenis-
set. Quo melius rem ostenderet, suumque herum
monitum faceret, ex composito in parietibus loci
hoc unum verbum scriptabat: Est. Ibi enim
securius manere se posse Ioannes noverat et ad
satiatem bibere. At quadam die cum in *Mon-
tem Faliscum* pervenisset et ibi celeberrimum
illud omnium degustasset, ut ita omnem vini
gloriam et loci breviter notaret, scripsit: Est,
est, est! Hic bibulus noster diu mansit, diutius,
et maximum in modum vinum ingluvie gulae
absorbuit atque in ipso vitam miserisse fini-
vit. Sic enim ex ipsa inscriptione facile erui-
tur, quam fideliissimus servus in sepulcro in-
sculpendam curavit, et adhuc servatur.

Quidem quod plausit accepitque Italia,
Et nunc in usum praedicatur undique.

Vinum Campaniae crescit quod Canellis
Bibunt et Ligures, Etrusci et Insubres,
Romani et Veneti, cives Neapolis.
Quot operarii! Quot instrumenta sunt!
Quot vasa et amphorae! Quot cadi et dolia!
Italiae datur cunctis et gentibus;
Ut undae maris, grandis portus pelagi,
Est illa statio vinorum commoda,
Iisque inservit vinum qui desiderant.

Et ipsum Dionysum laudat oppidum
Tulit qui primus vitim terris et coluit.
Deo sint rectius grates pro munere,
Modo quod parce sumptum propter stomachum
Tunc dulce potu, fragrans ut ambrosia.

SUBALPINUS.

PRO IUNIORIBUS

Plura audiamus, loquamur pauca.

Haec Pythagorae in recipiendis insti-
tuendisque discipulis ratio fuisse tradi-
tur. Adolescentum scilicet, qui sese ad di-
scendum obtulerant, mores naturamque
conabatur pernoscere ex ore totiusque
corporis habitu. Tum eos, qui explorati
ab eo et idonei habiti fuissent, recipiebat
in disciplinam et iubebat tempus certum
tacere; non omnes item, sed alios aliud,
pro aestimato captu sollertiae. Qui-
quennale ut plurimum erat silentium,
nec quisquam minus, quam biennium,
tacere solitus. Ubi res didicerant rerum
omnium, ut quidam putant, difficillimas,
ut alii, facillime tacere atque audire,
tum potestas erat verba facere, et quae-
rere, quaeque audissent scribere, et quae
ipsi opinarentur expromere.

Quo ritu imprimis docebat multa audire
et ad minimum loqui deberi. Fuisse audi-
endi studiosum Epaminondam Corne-
lius memorat, (1) et ex hoc illum facillime
discere arbitrari. Itaque quum in circu-

(1) CORN. NEP., *Epam.*, III.

lum venisset, in quo aut de se publice disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunquam inde eum prius discedere, quam ad finem sermo esset perductus.

Apud Persas lingua castigabatur gravius, quam quodvis probrum: nec magnam rem sustineri posse credebant ab homine, cui tacere grave esset, quod ei et facillimum noluerit natura concedere. Regum arcana mira fide celabant: non spes, non metus eliciebat vocem, qua proderentur occulta. Sic et Hispani saepe tormentis pro servando rerum sibi ereditarum silentio immortui; adeo fortior illis taciturnitatis cura, quam vitae.

Pompeii cuiusdam apud Romanos virtus laudatas ummopere est, (1) qui, quum legationis officio fungeretur, a Gentio, Illyriorum rege, interceptus et senatus consilia prodere iussus, ardentis lucernae admotum digitum cremandum praebuit, eaque patientia regi simul et spem tormentis quicquam ex se cognoscendi abstulit, et expetendae populi Romani amicitiae magnam cupiditatem iniecit.

Zeno, inepto et nihil ad rem loquenti adolescentulo: « Idecirco — inquit — aures habemus duas et os unum ut plura audiamus, loquamur pauca ». Idem, interrogantibus Ptolomaei regis legatis, quid de se renunciari regi vellet: « Senem — inquit — renunciate a vobis conspectum Athenis, qui inter pocula servari silentium sciat ».

Et Xenocratis quoque responsum quam laudabile! Quum maledico sermoni quorundam hominum interesset, ac taceret; uno ex his quaerente, cur solus ita lingam cohiberet: « Quia locutum fuisse me — inquit — aliquando poenituit; tacuisse, nunquam ». (2)

Quinctius autem Caecilius Metellus

Macedonicus amico cuidam interroganti quid esset acturus: « Tunicam — inquit meam exurerem, si eam consilium meum scire existimarem ». Et Antigonus, Philippo filio multis praesentibus quaerente quando castra moturus esset: « Ecquid — inquit — times, ne solus tubam audias? »

Sermo igitur qui in circulis, disputationibus, congressionibus familiarum, conviviis versatur, sit lenis minimeque pertinax. Ne vetamen, tamquam in possessionem nostram venerimus, excludamus alios; sed cum reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putemus. Videamus quibus de rebus sit sermo: si seriis, severitatem adhibeamus; si iocosis, leporem. Sed quomodo rectissime praecipitur, ut in omni vita motus animi nimios rationi non obtemperantes fugiamus, sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut tale aliquid appareat. Profert enim animi mores plerumque oratio, animi secreta detegit. (3) Nec sine causa Graeci prodiderunt, quemque ita dicere, ut vivat. Maxime vero curandum, ut eos, quibuscum sermonem conferimus, et vereri et diligere videamur.

Habentur plerumque sermones aut de domesticis rebus, aut de re publica, aut de artium studiis atque doctrina. Danda opera est, ut, si aberrare ad alia cooperis, ad haec revocetur oratio, sed utcumque aderunt res; non enim omnia omni tempore convenient, nec rebus omnibus similiter etiam delectamur.

Quum denique aliquid probrum coram te dictum fuerit, aut, si opportunitas fert, eum obiurgabis qui sermonem illum iniecerit, aut silentio saltem, rubore, tristi vultu ostendes eam orationem tibi displicuisse.

Alium enim silere quod voles, primum sile. FORFEX.

(1) VAL. MAX., III, 1.

(2) ID., VII, 2.

(3) QUINTILIANUS, XI, 1.

ANNALES

Europaeum bellum.

Ut a Rumenis, in conflictationem proxime progressis, initium recensionis nostrae hodie ducamus, notabimus impri- mis eos, dum magnis itineribus praeter Sarmaticos montes in Hungaria procedunt, Toplitzamque, Sanniah, Delne, Giurk, Makadia, Czik Sereda, Barot, Olthbogat, Fogaras, Reps occupant, efficiuntque ut Teutonicam frontem, militibus ad ipsorum iter impediendum distractis, Russi in Galitia et Volinia effringant, vidisse insimul a Bulgaris, vix indicto vicissim sibi bello, impetum in Dobrugiam inlatum, Turtukasque Silistriamque munita loca capta. Itaque factum est ut cum Russis copias suas Rumeni coniungerent in novum hostem, quem ad Dobric urbem fundere valuebant. Fugatos autem Austriacos in Maros valle urgent, obsidentque ad Strehiu fluminis oras.

Per Sarmaticos montes Russi quoque praetergrediuntur; qui fines a Teutonis constitutos quum, prouti diximus, superassent, Kovel tandem urbe potiti sunt.

In Macedoniam Serbi, adiuvantibus sociis suis, lente gressum flectere per- gunt; inferius autem Itali in Albania Tepeleni oppidum invaserunt, Patraeque in insulam praesidium eduxerunt.

Qui quidem Itali, in imperviorum montium Tridentinae atque Carsicae regionis oppugnatione sua insistentes, hinc ad Couriol et Gardinal, aliaque Rovereto versus propugnacula pervenerunt feceruntque sua, inde ad Sangradi cacumina. Addemus hostes, quo iram suam aliquo modo manifestarent, contra Venetiarum urbis monumenta per velivola iterum saevisse damnaque, quam-

quam, Deo adiuvante, non insignia, Sanctae Formosae Sanctorumque Ioannis et Pauli templis apportasse? Satis sit huiusmodi conatus pravaque flagitia, civili prorsus homine indigna, culto cuique viro denunciare, atque cum Summo Christianorum Patre humanitatisque omnis vindice, novae huic calamitati illacrymari.

Iamvero occidentem bellici campi atttingamus. Galli ad Somme flumen intrepide agentes, Belloy recuperata, Chaulnes devenerunt, eamque urbem, contra hostilem vim a Vermaudovillers usque productam, firmiter tenuerunt; itemque Buchavesnes oppidum et Le Priez, quae pariter expugnarunt, tertia ita hostilium vallorum serie in Picardia superata. Neque strenue minus Angli pugnarunt; qui in collibus inter Bapaume et Combles quum victores praestitissent, hanc urbem sibi subiecerunt, pariterque Thiepval, quam obsidione cinxerant, atque a Teutonum subsidiis strenue arcuerunt.

* *

Bellis eventibus qui per Europam fiunt, referuntur haud dubio quae in Graecia accident.

Singularis profecto huius nationis conditio, undique a bellantibus cincta, ac prementibus non minus hinc inde sollicitudinibus, ut tandem aliquando uni aut alteri parti aperte faveat. Eece autem ex improviso Thessalonica in urbe fit populi sedatio, quam reprimere Galli coguntur, illic cum sociis in castris, ob sui deditioem a Graecis militibus in ipsorum manus factam. Quasi claricationis ratione, Bulgari Cavallam arcem invadunt, praesidiumque inibi constitutum sibi addicunt, nihil opponente Graeciae gubernio, quod imo acquiescere videtur, dum Graecos etiam milites cernit

ad Germanos transire. Francogalli, Russi atque Itali huiusmodi tum agendi rationem Zaimis eorumque collegis administris acerbe protestantur: hi a munere sese abdicant. Qui iis succedunt, Calogeropoulos praeside, illorum protestationibus obsecundantes, concedunt, ut et publicus epistolarum ac telegraphi cursus sub denunciantium eorum tutela fiat, et Germanorum partis privati procuratores e Graeca terra expellantur, utque denique in cives sive corruptores sive fraudulentos speculatores severe inquiratur. Dum praeterea ipsi litteras ad Bulgaros mittunt, suadentes ut milites Cavallae captivos factos patriae reddant, Venizelos, ille populi tribunus, Cretam in insulam cum principibus factionis sua contredit alterumque civitatis gubernium instituit... Res, uti constat, ingenti discrimini obiicitur, neque facile coniectu est quomodo huiusmodi glomus evolvatur.

* *

Abyssinorum regnum et ipsum proximis diebus nova passum est fata. Deposito enim Ligg-Yasu adulescente imperatore, quippe qui Mahumeti asseclis nimis faveret, rerum summa tradita sunt Uizzerò-Uditu, Menelik, defuncti regis, filiae; haeresque imperii dictus Tassari Makonnen, qui Aethiopicas res iam nunc administrabit.

Kal. Octobribus MCMXVI.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Dum furor adhuc — (et quoique tandem?) — arma administrat, non erit abs re vos, lectores mei humanissimi,

de bellico, ut ita dicam, **certamine poëtico**, facere participes, in quod hisce diebus ipse forte, nec sine iucunditate, incidi.

Anno MDCCXVIII ob Mantuani duatus successionem Mars inter Galliam, Germaniam, Hispaniamque acriter saeviebat, in Petri solio Urbano PP. VIII sedente; qui, pro suo munere, ut pacis interpres atque administer apud contendentes intercedere satagebat. Erant eius familiae insignia rosae, lilia apesque tres, a quibus argumentum deducentes Gallorum fautores, huiusmodi epigramma vulgarunt:

Mella dabunt Gallis, Hispanis spicula figent.

Quibus invicem Hispani:

Spicula si figent, et melle et felle carebunt.

Urbanus, qui non minus politica arte quam poëtica pollebat, argute utrisque respondit, disticho quod sequitur:

Mella dabunt cunctis et nulli spicula figent;
Spicula nam princeps figere nescit apum.

Numne, hisce nostris temporibus, opportune haec revocanda videntur, et... Sed ne in censoris severitatem incidam, humanissimi vos qui legistis, quae essem dicturus ipsi cogitate.

* *

Badaiocensis anonymous meus collegam nactus est, eumque ex septentrionalis Americae civitate. Dicerem extrema inter se attungi, ni hic potius quam mensarum notulas, **de loco et tempore conviviorum, de discumbendi apparatu et ratione, atque similibus** me poposcisset. Qua comitate est, amicus ille iamdiu mihi tenax atque fidelis, haud mihi succenseat, quum novo isti hodie morem geram, cuius quoque singulari gratia sum affectus.

Igitur, optime Americane mi, privatrum aedium locum ubi coenitas, cum Romanis a re ipsa *Coenaculum, Coenationem, Triclinium* appellabis: haec certe communia fuere nomina. Sed et singulare porro aliud, ab aliquo petitum numine, eidem indere non rarum fuit. Itaque celebre evasit Luculli triclinium *Apollo* nuncupatum. Tu videris.

De coenaculi loco id compertum habemus, ipsum fuisse primitus in imam domo; tum ad superam translatum; quod in causa fuit quamobrem tota tandem summa illa aedium pars, amplificata appellatione, coenaculum vocaretur.

Hic autem adnotandum per incidens liceat, ex hac altera coenaculi notione cognosci posse quid sibi velint universa illa scriptorum loca, ubi coenacula a pauperibus habitata produntur. Scilicet in consuetudinem demum venerat, ut superae aedium partes inquiline huius generis locarentur. Itaque Iuvenalis (lib. x) ut indicaret egenorum domos a Neronis ditiorum opibus inhiantis impetu fuisse tutas, inquit:

*...egregias Lateranorum obsidet aedes
Tota cohors: rarus venit in coenacula miles.*

Quoniam autem ad huiusmodi domicilia scalis ascendere necesse erat, hinc, ubi plura essent in una domo aliis alia superstructa coenacula, plures etiam scae lae forent oportebat: unde et factum, ut nonnunquam ipso scalarum numero coenaculorum numerus designaretur. Ob hunc eundem coenaculorum usum « coenaculariam facere » dicti fuerunt, qui conducta coenacula tota aliis per partes elocando, quaestum faciebant.

Atvero ad carceres redeamus. Non uno tantum coenaculo Romani vulgo contenti erant, quum quisque ferme, quo id foret anni temporibus opportunius,

tum aestivum, tum hibernum habere vellet. Si idem tu facere poteris et volueris, bene sit. Non tamen, puto, in eo quoque Romanos sequeris luxu, qui malo publico natus quolibet irrepere consuevit, ut coenationis lacunar quorundam machinamentorum ope pluries inter discumbendum immutaretur, inde que flores, odores etc. defluerent...

De hora, qua convivia inirentur, inter omnes constat, occidentis fere solis esse; nimirum aestivo tempore nona, hiberno decima; qui usus etiam nunc vulgo usurpatur. Quum autem id esset coenandi tempus consuetudine constitutum, hinc quae convivia maturius instituerentur « tempestiva » discriminis ergo dicebantur; quae vox male audiit, tum quidem quum convivia eius generis essent, ut gulæ largius indulgerent; dum, e contra, quae « intempestiva » dicta aliquoties occurrunt, ea nunquam non in deteriore partem accepta sunt; eo scilicet sensu, ut semper effusorem edendi bibendique licentiam secum ferrent; non, quemadmodum fuit nonnullorum sententia, quia unice longius haec protraherentur, altera autem temperius instruerentur. Ceterum, ex statuta veteribus coenandi hora sub vesperum, ne id concludas, ante hoc tempus illos omnino cibo abstinuisse; de quo argumento ad ea quae alias in nostro commentario (an. I, fasc. III) scripsi, ne me repetam, te delego.

Praetereo item quippe hic inutile, de lectis sermonem facere, *tricliniaribus* ob usum dictis, quibus olim veteres mensae accumbebant, ternis plurimum aptari solitis; quo ex numero locus ipse coenae triclinii appellationem desumpsit: nonnunquam ii, tantummodo bini, « bielinii » nomini, minus usu trito, originem dederunt. Propius in vicem ad

mensam accedo, quae, quum plures lecti eam ambirent, quadrata esse debuit, quo recta illorum latera lateribus huius commode aptarentur. At rotunda quoque adhibebatur, quum nimirum unus lectus componeretur, maior hic vel minor, prouti varia esset mensae magnitudo; *stibadium* appellatum, sive *sigma*, a Graeca litera Σ, quae tunc temporis hoc pacto C deformari solebat; de quo locutus est Martialis (x, 48).

Septem Sigma capit: sex sumus; adde Lupum.

Ceterum, sive quadrata sive rotunda foret, semper id in mensae positione servabatur, ut reliquias ipsius partes obeuntibus lectis, una ministrantibus.

Rotundae mensae vel tribus sustentabantur pedibus, vel uno, (eius potestrem generis dictae *monopodia* fuere), iisque, itemque mensae tabula, pro hominum divitiis, ligneis, eburneis imo etiam argenteis aureisque, et in alicuius animantis imaginem conformatis.

Iam mensae pro coenae usu *manteli seu mantelo* (quum utroque modo efferatur) sternere mos erat; quod cum *mappa* ne confuderis, tergendi manus et os ad usum, ut nunc, adhibita. Tum vero hanc quisque secum conviva plerumque gerbat; non quidem a convivatore vulgo, ut solemus nos, suppeditabatur.

Ubi omnia ad coenam in promptu essent, convivae peculiari veste, cui *synthesis* nomen, amicti, floribus frondibus que non raro redimiti, unguento caput delibuti, positis soleis discumbebant.

Atque hic duplex convivarum genus notare iuverit, quorum alii ab epuli domino vocabantur, alios invocatos secum illi ipsi ducebant, qui invitati fuisse. Hos *umbras* appellari placuit, quippe qui, tamquam umbra corpus, alios consectarentur. Eorum autem noli arbitrari

similes ulla re fuisse *parasitos*. Hi enim quaerendis cibis unice mancipati, ipsi suis iocularibus et adulatoriis artibus coenas captabant, inque aliena convivia irrepebant.

Iamvero coenae *missus* inspiciamus. Tres prorsus hi erant, per quos coena ipsa tripartito dividebatur: *Antecoenum*, *Coena* (voce stricte accepta), *Secundae Mensae*. *Antecoenum* et *Antocoena*, quae et *Gustus* et *Promulsis* vocata, praeter lactucas, olivas, lucanicas et similibus, in primis complectebatur ova, et mulsi potio, (unde et *promulsis* nomen), vini scilicet melle temperatum. Alter missus lautissima quaeque fercula inferebat; inter quae etiam quod esset *praecipuum*, hoc est *Caput coenae*, ut apud Martilem (x, 31):

.... *Mullus tibi quattuor emptus
Librarum, coenae pompa caputque fuit.*

In hac quidem coenae parte *structorum* ars ac dexteritas praesertim emicabat; erantque servi ad id positi, ut ex certarum legum praescripto cibos scinderent, ac viritim distribuerent. Hi *Scissores*, *Carptores* et *Diribidores* dieti, atque etiam graeca voce *Chironomontes*, quippe qui certis eruditae manus ductibus, ut ait Seneca, munus obirent. Id ipsum variis simul gestibus agitare solebant, quos apprime meminit Iuvenalis (v):

*Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem species, et chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minime sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, et quo gallina sectetur.*

Illud insuper, ac modo per occasionem, scito, potuisse convivas, quae pars sibi obtigisset, eam consanguineis amicisve mittere; eique rei aptatum fuisse illud locutionis genus: « de mensa mittere ».

Secundis mensis poma omnisque generis bellaria proponebantur; idque fuit, « *instaurare epulas* ».

Quibus quidem consistendum tandem mihi videtur; habes enim, puto, Americane et tu anonyme mi, quod tibi sufficiat et ad veterum mensas cognoscendas, et cum hodiernis comparandas; fortasse denique et quo rerum nomine vocabulorum collectionem tuam circa ea quae de conviviis sunt affatim adaugeas. Vale; tuque sociique et lectores, cogniti et incogniti, mihi vestram benevolentiam servate.

* * * *Locosa*

De scriptore quodam vulgari sermo est.

— Curnam is filium operum suorum perpetuo se iactat?

— Profecto quod ipse ea tanti habet, ut eorum patrem minime se profiteri audeat.

— Amice mi, adversa equidem aqua vehor.

— Ecquid?

— Medici grassantes morbos duos in corpore meo invenerunt, lapidem et podagram.

— Scilicet, quem morbum vulgo *guttam* vocant?

— Ipsissimum!

— Atqui fortunatissimus es: alter enim morbus alteri medebitur. Nonne *gutta* carav lapidem?

Aenigmata.

I.

Parva mihi domus est, sed ianua semper [aperta;
Exiguo sumptu furtivis nutrior escis.
Quod mihi nomen est? Roma quoque consul
[habebat.

II.

Integra mensuram; sine vertice denoto cri-
[men.

(Aenigmata in superiore numero propo-
sita his respondent: 1] *Tinea*; 2] vulgo *Re-*
bis: Inter aspera ad astra.

IOSFOR.

MONITUM

*Dolet profecto animus, quum
publice significare adacti simus,
adhuc socios extare qui contractis
nobiscum ab initio operis nostri per
debitam subnotationem consociatio-
nis obligationibus nondum satis-
ficerunt; aliosque esse viros, eos-
que numero maiores, qui missa
iamdudum speciminis gratia Almae Romae exemplaria, cum invitatione ut, nisi nobis favere crede-
rent, publico cursui restituerent,
qui gratuito reciperet nobisque red-
deret, ea retinuerunt, et cum iis
fasciculos omnes, quos quum sua
agendi ratione nobis in animum
induxissent, se incoepum nostrum
studio ac benevolentia prosequi, re-
gulariter in posterum ipsis usque
nunc tradidimus. Licebit ne iis, post
acceptum per annum integrum et
ultra commentarium, a solvendo
pretio sese per silentium expedire,
et vel bonam fidem in damnum
nostrum invocare?*

*Rem hodie generatim deferimus,
sperantes fore ut novi generis Fa-
biorum istorum nomina, si ulterius
hodierno huic monito respondere
cunctenctur, vulgo proponere haud
cogamur.* ALMA ROMA.

VIRTUS PRODIGA VITAE³⁾

*Non etenim cultum romanum nomen et esset,
Fundere pro patria vitam nisi vel didicissent
Romani a teneris annis valideque tueri.
Et recte: nam magnarum virtute virorum
Roma stetit, gessitque diu portenta stuporis,
Quos aluit gremioque foyens se sustulit alte.
Hoc hominum fulcro, solido quasi tegmine nixa,
Quidquid agit, mente et quidquid molitur in armis,
Perficit, ignotasque vias pertentat honesti.
Nullus enim tardat Romanos vel labor asper,
Alea nulla tenet, nemo haesitat, agmen et haeret
Oppositum, numero pollens dum invadit in Alpes.
Mole hac turrita cavit et fortissimus hostis.
Quinam stet contra nisus validosque lacertos?
Quî intentas vires funesto Marte refringas,
Si quot dinumeras cives, tot moenia habebis,
In quae tela retundantur misere? Pia, perge,
Roma, viam aeternis demonstratam tibi fatis!
Iam tibi dant cives effuse quidquid et omni
Carius est re: almae lucis sua dona, salutem
Ut certam accipias maiorque feraris in orbem...
Ut stupor aufugit sensimque effluxit in auras,
Mensque sibi meminit claros iam redditum Curti
Fastos, et tanto implevit se nomine laeta,
Quaeque domi tenet, affert gens antroque dicantur...
Gemmatas torques, ostrum, cerealia dona,
Omne ornamentum, nummos, vestesque nitentes,
Iam specus absorbet. Mira est contentio. Pauper,
Nudus opum ipse suum lacerum vel donat amictum!
Mane ingens antrum fuit, et sub vespere nulla
Exstabat species lustri vacuumque repletum
Prodigium ostendit caeleste. Diu meminerunt
Romani festum, praesentis numinis omen,
Obtulit atque oculis vitae se prodiga virtus.
Complebris latebris, suetus labor arripit omnes.*

*Hac spe, Roma potens, aeterno condita saxo,
Auspiciisque bonis contendere ad astra parabas.*

Casertae.

MARCUS GALDI.

Dr. JOSEPHUS FORNARI. sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☺ ☺

MONITUM

Quaemadmodum in superioribus annis actum est, per hunc Novembris mensis fasciculum, quem speciminis gratia per orbem late diffundimus, subnotationem extraordinariam indicimus pro iis qui ad societatem nostram sint ultra accessuri. Hi profecto ab hodierna die ad expletum annum MCMXVII commentarium habebunt immutato annuae subnotationis pretio, quod est in Italia libell. 9, ubique extra Italiam libell. 12, ante solvendum rectoque tramite mittendum ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Qui autem integrum Almae Romae collectionem sibi cupiat, scilicet a mense Maio MCMXIV ad mensem Decembrem MCMXVII mittat si in Italia libell. 30; undique extra Italiam libell. 40.

Pecuniae traditio fieri poterit sive per publici cursus mandatum, sive per syngrapham apud aliquam nummariam mensam Romae exigendam; sive etiam per commissionem apud extera in Urbe seminaria et collegia, in quibus omnibus clientes adnumeramus.

Confidimus fore ut sollicitudini nostrae multorum favor respondeat; eritque vel maxime, si qui in societatem nostram adlecti iam sunt, nomina viorum aliquot nobis pro sua humanitate indicare velint, quibus specimen commentarii nostri non sine felici exitu tradere possimus; quod quidem etiam atque etiam eos rogamus.

ALMA ROMA.

Bellum, piacularē flagellū

Haud scio an in tanto «materialismi historici», quem nuncupant, furore, unde christiana perceptionis libertas in luteo eoque angusto campo voluntari a plerisque cogitur, irrisurus quispiam mihi sit, tamquam piacularē flagellū consideranti bellum. Sit cuique suum iudicium; sitque eo magis mihi, quod huiusmodi notio neque perturbat actionem illam apertam ardentioremque, qua belli, in patriae defensionem, participes Christiani se faciunt; neque nobis obnubilat eximiam illam formam, ad quam Catholici contendimus, vi ius anteponentes, necessitatis statum tamquam exceptionis considerantes, universorum et singulorum iustitiam identidem recognoscentes, atque